

XX

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA
SISTENS
THEORIAM AC THERAPIAM
PLICAE POLONICAE

QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIIS.

IVSSV ET AVCTORATE

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA,
SPECIMINIS LOCO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE IMPETRANDIS,


D. XIV. AVGUST. MDCCLVIII.

ERVDITORVM CENSVRAE EXHIBVIT

AVCTOR

ABRAHAM MEYR

POLONO-BRODENSIS,
GENTE IVDAEV S.



HALAE MAGDEBURGICAE,
EX TYPOGRAPHIA VESTERIANA.

DISSERTATIO INAGARVIAE MEDICE
aetana

THEORIAM AC THERRALM
PLICEAE POLONICAE

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA REGLI LITERARICIANA
SPECIMINIS LOCIS

PRO CRADIA DOCTORIS
SUSPENSIO IN MEDICINA HONORARIIS ET PRIMAVERIS
DOCTORISSEAE RITE IMPERANDIS

D. ZVI. ADOPT. MEDICALI

ERUDITORVM CENSARVM EXHIBIT

AVATOR

ATTRAHANI MEXIC

GENITI TAPAE

HAIE MELLEBANICIS

EX TYPOGRAPHIV AVSTRIANA



PROOEMIVM.

A

Duo sunt praecipue momenta,
quorum rationem habere so-
lent, qui, obtainendorum ho-
norum academicorum caussa,
Dissertationes conscribunt; alterum scilicet,
ut materiam proponant vtilem; al-
terum, ne tractent argumentum adeo
excussum. Eiusdem quoque conditionis
esse puto argumentum, cuius nunc per-
tractationem suscepi, quum sit morbus
equidem non tam in Germania, quam
potius in Patria mea, sat frequens.

A 2

Quod

Quod alterum momentum attinet, etiam spero forsan eidem me satisfecisse, quum in iis, quae huc usque de hoc morbo perlustrare potui, scriptis, non dum omnes & singulas eius caussas & rationes sufficier expositas deprehenderim. Faxit ergo supremum Numen, ut qualescumque hi labores ex voto succedant.

§. I.

Antequam ad pilorum statum praeter naturale, sive illorum morbos, progrediar, paucissim saltem illorum statum naturalem prius attingam.

§. II.

Definiri vero commode pili ita possunt, quod sint partes corporis nostri solidae, tenues, flexiles, varii coloris, supra cuticulam hinc inde in variam longitudinem extensae.

§. III.

Bulbi pilorum capitis aliorumque longiorum, sub cute, & fere in membrana adiposa, suam sedem habent. Constat autem quilibet bulbus quasi ex capsula quadam, quae ex fibris nerveis & tenuimis vasculis contexta est, vnicaque gaudet apertura, cum ductibus glandularum sebacearum, quae glutinosam & sebaceam fundunt materiam, qua pili simul irrorantur.

§. IV.

§. IV.

Incrementum pilorum idem est, vti in ungibus; cum enim pili nec sentiant, nec, si discentur, fluidum fundant, vtique hinc tam nervi, quam vasa nutrientia ipsis sunt deneganda. Crescunt igitur, quia prope radices novae semper adponuntur partes, a quibus priores protruduntur, pinguedo quoque ex adhaesione pro nutritione penetrare videtur. Grandescunt porro pili robore, si saepius resécantur, id quod ita concipi potest: Pars pilorum anteriorum, quamquam vasa & nervi ipsi desint, est tamen pellucida (testantibus microscopis,) ac fibrosa, hinc porosa; absorbet igitur humiditatem a nutritione infimarum particularum suarum residuam, vti spongia aquam, & per suos poros in aërem dimittit, vnde pili etiam perspirant ^{a)}; pilus enim quo longior est, eo magis perspirat, & tanto copiosius humidum ex infimis nutrientibus absorbet partibus; vasa ergo nutrientia haud expanduntur. Rescissio autem pilo tantum humidi non consumitur, quantum radices absorbent, ergo distenduntur vasa infima nutrientia, & in poros fibrarum expansos partes plures penetrant; quapropter pilus crassior fit ac robustior.

§. V.

Non sum equidem nescius, quod meum nunc esset, morbi, quem pertractandum suscepit, definitionem statim tradere; ast, cum observationes &

A 3

in-

^{a)} HAMBERGER in *Physiolog.* §. 504. n. 3.

tegra tractatio eadem nitatur, illas prius praemittere, atque hanc dein demum subiungere lubet.

OBSERVATIO I.

Uxor Kobialae, rustici cuiusdam, viginti annorum, per totum tempus vix ullum morbum experta, robusta ac sana, sine manifesta causa tandem dolore lancinante capit is & artuum torquebatur, postea in fauces ac naribus oriebantur vilescula sordida, manus vero & pedes occupabant nodi ac tuberculæ, paucim dispersæ. Implorabat haec prius auxilium balneatoris huius loci, qui remediis mercurialibus, tam internis, quam externis, malum hocce extirpare conabatur, sed frustra ac male: paucos enim intra dies non tantum ossa narium squamosa, sed etiam uvula corruptione putredinosa afficiebantur, omniaque reliqua symptomata in dies magis magisque ingrauefiebant, unde, peiora adhuc metuens, Dn. D. STABELLI b) auxilium implorabat, qui, indagatis omnibus circumstantiis, nullum inquinamenti venerei suscepit deprehendebat vestigium. Quoniam vero matre olim Plica laborante erat nata, singulisque fere noctibus ex capite sudor manabat viscidus, phantasia quodammodo turbabatur, & vngues apparebant scabri; hinc sequentem adhibuit medendi methodum. Primo ordinavit sequens decoctum incidens & laxans, singulis diebus ad dimidiam vni-

b) Vid. eiusd. *Dissert. exhibens singulares Observationes de Placa Polonica.* Hal. 1724.

ciam sumendum: Rec. Raf. L. Guaiac. vnc. ij. Lign. Sassafr. vnc. j. & dimid. Hermodactyl. vnc. ij. Infusa per noctem cum f. q. aquae font. leni exponantur digestioni, postea addantur fol. Senn. sin. stip. vnc. ij. leniterque decoquantur, cum quo vespertinis horis quotidie drachmam dimid. Magnesiae albae sumebat, subiungendo dein usum sequentis pulueris: Rec. Sulph. antimon. fixi gr. ix. Regul. antimon. medicinal. gr. vij. Cinnab. nat. gr. viij. Externe caput frequenter lauari iussit cum Decocto herbae Lycopod. quo facto non solum sese explicauit atque in sat largam magnitudinem crevit Plica, sed etiam vlcuscula disparuerunt, ac reliqua tandem symptomata plane cessarunt, ita ut per plures annos iam bona gaudeat valetudine.

OBSERVATIO II.

Foemina quadraginta annorum, magnam spissorum humorum in corpore copiam fouens, prius quidem in melancholiā incidebat gravem, quae vero postea mutabatur in maniam. Exhibitā eidem fuerunt, praemissa larga V. Sne, varia antimonialia & vterina, aucto tamen magis, quam imminuto furore vñacum cum reliquis symptomatibus. Tandem suspicio oriebatur de suscepto inquinamento Plicam concitatuero, vnde antea nominato Decocto caput frequenter lavabatur, quo facto non ita diu post Plica prodibat, & furor iste cum reliquis symptomatibus tandem plenarie cessabat.

OB-

OBSERVATIO III.

Tandem etiam ego ipse morbum hunc obseruauui in viro quodam Polono, qui Bialae habitabat. Pharmacopoeus nempe huius loci, sanus ceteroquin, ac sobrie viuens, praxin medicam passim in Polonia exercens, in cubiculis Plica laborantium incaute dormiens, inquinamento inficiebatur, vnde Plica statim in capite sese explicauit, nulla vero manifesta percepit incommoda. Interim tamen, ob deformitatem, Plicam istam statim abscondebat, variaque simul purgantia & alia sanguinem mundificantia in usum vocabat medicamenta; sed non ita multo post doloribus capitum & artuum adfligebatur grauissimis, in manibus ac pedibus tubercula, in reliqua vero corporis externa superficie vlcuscula oriebantur satis molesta. Deficiebat nutritio, viresque consumebantur. Tandem ossa etiam arrodebantur ac fragilia euadebant, vnde, cum aliquando surgeret, ossa tibiae ac fibulae oblique frangebantur, ita ut una extremitas supra alteram eminet, & alio tempore, dum cum manibus operam quandam leuem suscipere tentabat, os scapulae magno cum strepitu dissiliebat. Varia quidem adhibuit auxilia, medica aeque ac chirurgica, sed omnia frustra, donec tandem mors calamitati huic finem imponearet.

§. VI.

Triplex quidem huius implicationis cranium, a quibusdam Auctoriibus constituitur differentia, satis tamen ridicula & nullius usus, a modo compli-

catio-

cationis diverso potissimum desumta, cuius respe-
ctu alia *mas* nuncupatur, *foemina* alia, & alia *fi-
lia*. *Plica mas* dicitur illa, in qua capilli & pili
spicarum aut clauorum instar complicantur, estque
maribus potissimum familiaris; quando autem ca-
pilli omnes in vnam massam coëunt, in modum
caudae equinae, tunc *foemina* vocatur. Ast hanc
differentiam complicationis nos non sequimur,
quoniam, quoconque tandem modo eueniat capil-
lorum contorsio, nil tamen aliud quidpiam deno-
tat, quam ordinarium illum *Plicae* effectum.

§. VII.

Synonyma huius morbi sunt varia, quorum
deriuatio magna ex parte a superstitionis opinionibus
desumitur. Praefstat vero rem ipsam genuino vo-
cabulo insignire, atque id, quod cum eadem conser-
tit, potius assumere. Idcirco etiam vnicum hoc
nomen omnibus aliis praferimus, quando a Ger-
manis affectus ille grauis *der Weichsel-Zopf* nomina-
tur, siquidem sic aliquo modo res cum ipsa cauſa
conuenit, cum in primis origo huius mali ab aquis
fluvii Vistulae, Germanis *die Weichsel* dictae, deriu-
ri soleat.

§. VIII.

Polonis ordinaire *Gnudziec*, quod *clavum*,
Roxolanis autem *Koltun*, quod *paxillum* significat,
dicitur, eo quod crines conuoluti e capite propen-
deant instar paxilli, qui *Kolek* appellatur. Mulieres
Polonorum honestiori hunc affectum insigniunt vo-
cabulo, dum illum *Gosciec* & *Gosc* vocant, quasi

B dixeris

dixeris *hospitale*, vel *hospitem*, quod nimurum
quasi hospes in Polonium e Roxolania venerit.

§. IX.

Ex praemissis obseruationibus, & rationibus denominationis huius mali, commode iam eruere licebit praedicata essentialia, quae Plicae Polonicae competunt. Est igitur illa magnitudo capillorum aucta, cum viscosa illorum conglutinatione & intricatione, variisque vel antecedentibus, vel, rescissa eadem, subsequentibus symptomatibus coniuncta.

SCHOLIVM.

Quod in Plica Polonica magnitudo pilorum adsit, euiderter ex Obseruatione I. apparet, & quod cum symptomatibus antecedentibus sit coniuncta, ex eadem Obseruatione constat, quodque tandem, rescissa Plica, multa symptomata subsequantur, ex Obseruatione III. apparet.

§. X.

Antequam ad caussas, immediatam, mediatas, proximiores remotioresque, progrediar, prius *di-aetam* Polonorum paucissimis attingam, ex qua statim caussae mediatae remotiores cognosci poterunt. Quod *aërem* attinet, hic praesertim in Lithuania Pokutia est crassus, frigidus, multis noctiis exhalationibus repletus, quoniam admodum paludosa est ista regio. *Cibus* incolarum est crassus, viscidus, fumo induratus, praesertim acidus, dum nempe in hac regione ex foliis betae rubrae, cum aqua prius fermentatis, singulare parant iuscum

culum acidum, quod in hac regione ita quotidie in usum trahitur, vti infusum Thee, aut fabarum Coffe, in Germania. *Potulenta* ordinaria, praesertim inter rusticos & pauperes, sunt acida, quae etiam ex fermento panis, cum aqua, parant. Spirituosis imprimis sunt adsueti, vtpote quibus maxime omnes Poloni delectantur. Non minus quoque hoc referendi veniunt quamplurimi prauae indolis fontes, fluuique montium Hungariae varii, qui quippe copiosas crassas terreas & limosas partes secum vehunt, vti rerum Polonicarum scriptores testantur, speciatim vero clariss. SOLSKY, in *Geometria & Architectonica Poloniae*. Ratione excretorum & retentorum imprimis ad transpirationem hic respiciendum est, vtpote quae saepissime apud Polonos supprimitur, dum vestibus & pileolis pelli- ceis sunt induiti & tecti, vnde sub qualicunque corporis motu, praecipue laborioso, facile copiofi proliuntur sudores, quos dein, caput & petus denudando, saepe admodum repente cohibent & retroagunt.

§. XI.

His praemissis nunc ad *caussam immediatam* huius mali progredimur, quae in mala constitutione & nutritione viscosaque intricatione pilorum potissimum consistit.

§. XII.

Caussam mediatam proximioriem constituit spissitudo humorum cum acrimonia acida coniuncta. Prioris vitii praesentia patet partim ex Observa-

B 2

tione

tione II. ipsaque Polonorum diaeta, sub qua in primis spirituosa potulenta admodum largiter ingurgitantur; partim quoque ex curatione Dn. D. STABELII, qui efficaciora resoluentia remedia optimo cum successu in usum vocauit. Quod vero etiam acrimonia simul coniuncta sit, satis manifesto patere arbitror ex doloribus gravissimis capitis & artuum, qui Plicae eruptionem, iuxta Observat. I. & II. antecedunt, & omnino grauem quandam irritationem partium sensibilium membranacearum arguunt; itemque ex nimia fragilitate & erosione ossium in Observat. III. notata. Hanc autem acrimoniā *acidæ* potissimum indolis esse, facili negotio partim a priori, partim a posteriori euinci & demonstrari poterit. A priori id patet, dum omnis acrimonia a salium in fluidis praesente maiore copia dependet, & ipsa haec salia, iuxta chymica principia, aut *acida*, aut *alcalica*, aut *mediae indolis* sunt. Iam vero *alcalica* esse non possunt, dum, si alcali in massa sanguinea magis abundat, febres communiter putridae, malignae, aliaeque acutae oriuntur, vti in Dissertat. de *Fluidorum acrimonia* celeberr. Consil. aulic. NICOLAI, Praeceptor meus ad cineres usque deuenerandus, egregie docuit. *Mediae* autem *indolis salia* hanc producere non possunt acrimoniā, dum ex vnione salium simplicium acidorum & alcalicorum oriuntur, adeoque minorem omnino gradum acrimoniae possident, quam ille est, qui in hocce morbo notatur. Proinde etiam omnia salia eo maiorem exercere possunt

possunt vim & actiuitatem, quo minores & subtilliores sunt illorum partes. Iam autem salia media sunt composita, adeoque partes eadem constituentes magnitudine superant partes salium simplicium, hinc minus actiuae, & ad grauia huius morbi symptomata producenda minus etiam aptae sunt. Sola ergo supersunt acida salia, quae idcirco unice symptomatum istorum materialem constituere possunt causam, quorumque praesentiam in Polonorum massa sanguinea tanto magis euincit diaeta illorum acida, superius iam (§. X.) notata.

§. XIII.

His ita praemissis, phaenomena sequentia nunc facile explicari possunt: 1) Cur ad caput materia morbos, & non ad alias corporis nostri partes deferatur. 2) Cur complicatio pilorum sequatur. Quod ad primum attinet, speciatim considerandum erit, in quali statu caput Polonorum conseruetur. Maiore semper illud fouetur calore, dum pileolis pelliceis tectum est, adeoque integumenta eius, ob continuam inde euenientem relaxationem, non solum magis debilitantur, sed etiam, ob auctiorem transpirationem, continuo humectantur, ad quam etiam copiosus potulentorum spirituorum usus multum omnino contribuit, prout hoc olim b. Parens meus, in Dissertat. de Potulento rum spirituorum noxa atque utilitate, in Regia hac Frederiana ann. MDCCXLIII. exarata, vberius exposuit. Pilorum autem intricatio, quae proximam Plicae Polonicae constituit causam, sequenti modo

B 3

fieri

fieri potest. Constat iam, quod acrimonia, cum spissitudine coniuncta, hoc in morbo adsit (§. XI.); humores autem spissi, quamdiu stagnant, hinc inde varia symptomata concitant; ergo etiam in glandulis subcutaneis stagnant, fluida vero stagnantia, vel ante stagnationem spissa & acria fuerunt, vel post illam hancce pravam conditionem induunt (per principia pathologica). Qua de causa obstruc^{tio} maior fit, & transpiratio in his locis supprimitur, in primis vbi obstruc^{tio} maior est, & simul vasa magis sunt constricta, vt illa idcirco non facile tolli possit. Proinde quoque hoc in casu glandulae calori magis sunt expositae, & integumenta capitis, vti ex antecedentibus patet, non parum iam sunt debilitata, vnde affluxui a tergo resistunt, qui idcirco ad locum debilitatum maior fit; hinc humores tandem diluuntur, demulcentur, & mediante affluxu maiori obstructions partim vigore motuum, partim vsu externorum emollientium & discutientium reserantur. Interim tamen partes antea obstructae adhuc manent debilitatae, vnde maior fit affluxus, & per consequens maior secretio materiae transpirabilis, ac insimul materiae nutritiae, incremento pilorum capitis destinatae, sub qua dein non solum pili longiores evadunt, sed etiam, ob copiosius transudantem e ductibus glandularum sebacearum materiam viscidam & tenacem, conglutinantur, siveque successive vera tandem Plica formatur, ad cuius faciliorem & citiorem eruptionem multum etiam confert rati-

rior pectinis usus, implicationem istam pilorum tanto magis accelerans & promovens. Quoniam vero praesente tandem Plica, non solum ob debilitatem partium & organorum secretiorum, sed etiam ob maiorem pilorum elongationem, transpiratio & excretio materiae peccantis viscidae & acris magis augetur, abscissa autem illa insigniter turbatur & imminuitur; hinc ratio patet, cur, facta pilorum implicatione, symptomata praegressa multum a vehementia sua remittant, & e contrario grauissime semper exacerbentur, si improuide illa rescindatur.

§. XIV.

Diagnosis Plicae praesentis sola autopsia patet, dum implicatione & conglutinatione pilorum se se manifestat; futura autem difficilius indagatur, nisi dispositio haereditaria adfuerit, vel iam pilii complicari incipient.

§. XV.

Quamuis autem de reliquo malum hoc in genere, ob symptomatum concursum, perquam grave & molestum sit, criticum tamen quidpiam in eodem semper subesse, dum materia vitiosa hac ratione per vias plane singulares e corpore eliminatur, recte iam olim SENNERTVS indicauit. Nihil enim periculi adfert aegro Plica sibi relictā, & saepe sine omni noxa ad mortem usque circumfertur; immo etiam quandoque aliqui, sponte de cidente illa, penitus iterum convalescunt. E contrario autem experientia testatur, eos, qui, fastidio

dio deformitatis, capillitum deradunt, visu priuari, aliisque graibus & maxime santicis symptomatis obnoxios reddi. Sicuti enim plurimorum morborum perfecta curatio in remotione & excretione materiae vitiosae per corporis emunctoria consistit; sic quoque & huius curationem in eo versari nulli dubitamus. Hinc in principio, prodeunte iam Plica, dolores atque symptomata grauiora sopiuntur; contra vero vbi nouacula capilli deraſi fuerunt & pori cutis ab aere liberius accedente obstipantur, excretio per illos cessat, indeque grauiflma symptomata, testante Observatione III. oboriuntur, immo quandoque etiam breui temporis interuallo mortem fuisse insecuram, a supra citato relatum & confirmatum habemus SENNETTO. De reliquo semper admodum chronicum & refractarium est hoc malum, omnibusque aetatibus commune, magis tamen iuuenili atque senili molestum. Aliquando etiam ipsius naturae beneficio illud abactum fuisse, experientia docuit, quando nimirum cauſae occasio[n]ales, proximam sustinentes, remouentur, viscidique & acres humores, per pilos exhalando, continuante vegeto humorum circulo vitali, eliminantur, ut tandem Plica sponte sua decidat, immunisque ab omni malo homo ad vitae vsque finem maneat.

§. XVI.

Licet autem in genere hic affectus curationem vix admittere videatur, & plerumque generofis auxiliis, purgatione nimirum & venaeſectione, tentanti-

stantibus obseruationibus, magis exasperetur, vt
merito de illo dici possit, quod **HIPPONCRATES**
de Cancerō occulto scripsit, melius nimirum esse,
si non curetur, cum curati citius pereant; spes ta-
men omnis minime abiicienda est, quum experi-
entia monstrat, quod complures quoque talium
aegrotantium, si causarum recta habeatur ratio,
optatam feliciter recuperent valetudinem.

§. XVII.

Quim autem remedia meliorem exserant esse
etum, si prius canales alimentorum, praesertim si
variae in iisdem collectae haereant cruditates,
repurgati fuerint; hinc 1) mox in principio pre-
mittatur lene purgans, ex rad. Jalappae cum Scam-
mon. sulphurato paratum; dein 2) ad ipsam cau-
sam extirpandam progrederiatur, taliaque exhibeant-
ur remedia, quae viscidos humores resolvunt, &
motum eorum restituunt, simulque acrimoniam
acidam corrigunt, ac tandem transpirationem red-
dunt liberiorem. In horum censum veniunt salia
alcalica, tam fixa, quam volatilia, simplicia &
oleosa, vt Spirit. salis ammoniac. C.C. Liqu. C.C.
succinat. Spirit. bezoard. Bussia, sal volat. oleo-
sum Syluii, Liqu. nitri fixi, salia plantarum per
incinerationem parata, omnesque herbae alcales-
centes, quae in varia forma varioque ordine, pro cir-
cumstantiarum ratione, ordinari possunt, interpo-
sitis simul pulueribus ex absorbentibus & Magnesia

C

alba

alba paratis, quibus, si dolorum ferocia nimis vrgeat, mitiora & secura simūl jungantur anodyna. Porro quoque tempore vernali herbae antiscorbuticae, aut succus illarum cum sero lactis, itemque Elixiria visceralia ex similibus extractis parata, optime conueniunt. Pro potu ordinario feligatur vel aqua pura, addito pane tosto, vel decoctum tenue lignorum cum antimonio crudo in petia ligato, vt pote quibus viscidi humores optime diluntur, attenuantur & resoluuntur, vt per consuetata emunctoria tanto facilius dein eliminari queant.

§. XVIII.

Externe varia quidem linimenta atque vnguentia a practicis Auctoribus commendantur, quibus Plicam diversimode tractant & exstirpare gestiunt; verum, si dicendum quod res est, videntur magis illa obesse quam prodefesse, cum ex variis invicantibus, praesertim pinguedinibus crassioribus, constent, ita vt, capiti illita, partim integumenta eius magis relaxando, partim poros cutis obstipando, grauius malum reddant, cum in libero transpirationis successu aegrorum salus consistat. Huc accedit, quod crinium intricatio tantum sit symptoma morbi, atque caussae effectus; iam vero non tam symptomati, quam potius caussae est occurrentium, cum cessante caussa cesseret effectus, vt non sit, cur de hoc pilorum vitio, sibi relicto, nimium sumus solliciti. Interim tamen sequens

CNOEF-

Sistens theoriam ac therapiam Plicae Polonicae. 19

CNOEFFELII vnguentum in *Ephemerid. Nat. Curios.* Dec. I. Ann. II. Obs. 52. descriptum, cuius usum crebrior experientia confirmauit, prae aliis magis conuenire videtur. Sumuntur nempe partes aequales Musci terrestris repentis & radicis Bryon. in puluerem redactae, & cum adipis erinacei sufficienti quantitate in vitro bene obturato in B. M. per horam decoquuntur, talique vnguento dein radices capillitii in capite complicati & loca affecta, maxime articuli dolentes, bis de die inunguntur. Quodsi autem correctius tale remedium desideratur, tunc sequens in usum trahi potest: Rec. Vngu. enulat. c. mercur. vnc. j. Pulueris Lycopod. rad. Bryon. ana drachm. j. & dimid. olei Tart. per del. drachm. j. M. F. l. a. Vnguentum. Non vero singulis diebus in usum talia sunt vocanda, aut toti capiti adPLICANDA, sufficit, si bis in septimana & tantummodo radicibus Plicae illinatur.

§. XIX.

Praeter iam laudata vero remedia nihil praestantius creditur, quam *Muscus terrestris clavatus*, sive *Lycopodium*, quod Poloni *Cingulariam* & *Plicariam* vocant. Siquidem Rutheni potissimum ac Lithuanii plantam hancce pro eximio specifico in hoc morbo habent. Crescit illa copiose in Polonia & ad 7. 8. immo 10. vlnas extenditur, prout *Martin. Bernb. a BERNIZ* loco supra cit. refert. Paratur exinde decoctum, dum plantam istam, cul-

C 2

tello

tello aliquo sursum versus dissectam, decocto Bran-
cae vrsinae, prius optime calefacto, infundunt,
adiiciendo dein, post vnam vel alteram lenissimam
ebullitionem, pauxillum fermenti panis filaginei,
illudque dein prope fornacem ad fermentandum
reponendo. Hoc decocto non tantum interne
vtuntur Plica laborantes, & quidem vel sibi reli-
cto, vel cum ouis recentibus in forma iusculi, sed
& externe illud adhibent, & caput eodem calefa-
cto lauant, ac tunc denuo recentem plantam, item
que Saluiam atque Rosmarinum addunt, quae liquo-
ri colore obscure rubrum conciliant.

SCHOLIVM.

Constat haec planta ex copiosis principiis sulphureis
subtilioribus, cum paucis gummo-resinois, & teneriori-
bus terreis, coniunctis. Vid. illustris atque excellentissimi
BÜCHNERI, Praeceptoris mei ad tumbam vsque devener-
andi, *Fundamenta Materiae medicae*, p. 454. Patet ergo
exinde, quod haec planta, in aqua decocta, ob principium
sulphureum demulecentem leniterque anodyniam virtutem
exferat, ac insimul ab aqua calida humores sub cete sta-
gnantes acres diluantur, & vascula constricta relaxentur,
vnde dein affluxus a tergo durans, ob resistantiam immi-
nitam, augetur, haeque ratione maior excretio materiae vi-
scidae acris, & maius pilorum incrementum, tandemque,
non addibito pectine, intricatio pilorum sequitur, cum ma-
nifesta symptomatum praegressorum remissione.

§. XX.

*Dialectam quod attinet, illa ex supra dictis re-
peti*

peti potest. Inprimis vero cane & angue peius
vitari debet aér crassus, frigidus, nebulosus, quia
humores magis inspissat & coagulat. Cibus sit
tenuis, non acidus, sed alcalinae indolis. Quia
vero malum hoc etiam aquis impuris atque limo-
sis in Polonia ortum suum debet, hinc puriores
pro potu feligendae sunt, euitando simul pessi-
mum illum spirituosorum abusum. Motus sit mo-
deratus; animi pathemata grauiora, inprimis au-
tem moeror & terror, sedulo euitentur, & libe-
rioris transpirationis successus quoquis modo con-
seruetur & promouetur; sic enim, fauente di-
uina gratia, & curationem, & praeseruationem
mali huius perquam molesti promittere &
sperare licebit.

TANTVM.



OPIV

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
ABRAHAMO MEYERO,
SVMMORVM IN MEDICINA HONORVM
CANDIDATO DIGNISSIMO,
S. P. D.
FRIDERICVS SIEGMUND GRASS,
V R A T . S I L E S .
MED. CAND.

Pergratum mihi, gratulationem *TIBI* conscribendi, esse laborem fateor, quem imprimis eo libentius in me suscepī, dum *TVAM* in arte medica dexteritatem & indefessum fervorem satis iamiam probatum habui. Minime itaque pluribus verbis opus est, quibus laudes *TIBI* debitas & optime meritis describerem & augerem, dum certe omnes, qui *TE* norunt, dexteritatem *TVAM* non modo cognitam exploratamque comprehendant, sed etiam mecum, *TE* praemia Doctoralia promeruisse, contendunt. His tandem praemissis votum vterioris prosperitatis adiungam, ut omnia *TIBI* & posterum bene feliciterque succedant, & quanvis non praesenti, futuris tamen temporibus maximis fortunis ornatus incedere, & bene beataque viuere queas. Quod vero me attinet, *TIBI*, Candidate doctissime, hoc eruditionis *TVAE* specimen gratulor; gratulor quoque *TIBI* honores in Medicina summos Doctorales mox impetrando, quos tanquam fructus *TVA* diligentia collectos & promeritos accipir. Nil vero nunc superest, quam ut mihi expertam, ne nominis mai memoriam obliuionis tradas iniuriis, quin potius me absentem memoriae commendatum habeas, optoque, velit summis omnium rerum moderator *TE* diu in reipublicae commodum, in gaudium *TVORM*, in solatium tandem aegrotantium sartum teclumque seruare. Vale. Dabam

Halae d. XII. Augst.
MDCCCLVIII.

VIRO

VIRO
PRAENOBILISSIMO, CLARISSIMO, DOCTISSIMO
DN. ABRAHAMO MEYR,

SUPREMORVM IN MEDICINA HONORVM
CANDIDATO DIGNISSIMO, AMICO SVO
AESTVMATISSIMO,

S. P. D.
IO. GEORGIVS GODOFREDVS FVNCKE,

M E D . S T V D .

E t familiaritatis amicitiaeque leges, & obseruantiae officia a me postulant, vt TE, Amice aestumatisime, summos in Medicina honores pro meritis ambientem, non sine publico quodam amoris mei deditissimique animi testimonio dimittam. Tantum enim semper cepi voluptatis atque delectamenti ex suauissimo TVO confortio atque colloquio, ex quo tempore iucundissima illa mihi contigit occasio, animum TVVM in addiscendis solidis Medicinæ principiis plane indefessum, in amicitia vero haud fucatum noscendi; vt suauissima TVA confoscione vti, Tuosque in arte salutari acquisitos egregios plane prospectus admirari, per gratum mihi semper, immo gratissimum fuerit. Ipsum quoque praefens haud mediocri eruditione a TE elaboratum specimen inatigue rale iam satis superque testatur digna eruditionis TVAE praemia. Sed pluribus adhuc aliis iure hic excurrere possem in TVAS laudes, nisi quidem id vetaret TVA modestia. Missis autem his ad vota me iam conuento. Gratulor itaque TIBI, Candidate præstantissime, ex animo de summis illis in Medicina honoribus breui TIBI ex merito conferendis. Gratulor Patriæ TVAE de Medico utilissimis scientiis imbuто. Gratulor aegrotis TVA ope felicissime usuris. Quod reliquum est, adspiret supremum Numen conatibus TTIS qui busunque clementissime. Secundet diuina sua benedictione quaevis TVA, quae aggrederis, conamina. Vt TIBI adeoque quaevis ex voto succedant, vtque amicitia TVA iucundissima etiam absentem me dignari velis, est, quod enixe precor, rogo atque obtulor. Vale, resque TVAS feliciter age. Dab. Halae Magdeburgicae,
die XII. Aug. Ann. MDCCLVIII.



AMICO SVO AESTVMATISSIMO
ABRAHAMO MEYR
S. P. D
LAZARVS SALOMON KOREFF
MED. STVD.

Non quidem ignoro praeclaram ingenii TVI vim & impi-
tum, eunque virilem, quocum in politioris humanitatis lit-
teras, praecepue vero in medicam incubuisti scientiam. Nolo itaque in
laudes TVAS fuisus excurrere, sed solam, ob honores summos doctora-
les in arte hac medica à Te breui acquirendo, gratulationem pu-
blice TIBI communicare. Gratulor itaque TIBI ex intimo animi
affectione, nouos honores ex praxi TVA sequenti TE haurire. Gratulor
patriae TVAE de novo aestumatissimoque ornamento. Gratulor in-
firmis TVVM auxilium expectantibus, de Medico doctissimo. Ser-
vet Deus M. TE per longam annorum seriem felicissimum. Nihil
itaque superesse video, quam ut TE rogamus habeam, velis me in po-
sterum eadem humanitate amare, quod de mea parte itidem TIBI
spondeo. Vale. Dabam Halae Magdeburgiae d. XII. Aug.
MDCCLVIII.

לְמַכְתִּיבָה: כִּי רָאוּתִי: אֲשֶׁר אַחֲרֵי וְאַלְפֵי
בְּנָוֹתִי: כִּי רָאוּתִי: רְבָבָי גִּיעּוֹתִוּ:
וְהַשְׁקָה בְּחִכְמָתוֹן יְמִינֵי וְלִימָתוֹן עַפְרֵי
בְּמַחְשָׁבוֹתִוּ: קְנַתְּחָה חִקּוֹתִוּ: שְׁלָמָם
בְּמוֹרוֹתִוּ: הַוָּא אַכְרָה וְעַלְהָ וּפְרָחָה:
בְּמַלְכָה וְמַדְבָּבָה וְהַשְׁמָשָׁה אַוְרוֹה וּוֹרָחָה: שְׁמוֹ יְעֻלָּה
בְּמִים כְּזָמָרָה: שְׁכָרָה אַתָּה פְּעֻולָתְךָ
וְתָגָבָר וְרֹיעָה אֲפָה וְצָרָחָה: וַיְהִי לְעָדָה
אִישׁ מַצְלִיחָה: מִנִּי אַכְרָה הַכְּתָתִיב
מַהְלָבָשָׂטָה:

die XII. Aug. MDCCVIII.

in Med. Fac.

5. 7. 58.

Halle, Med. Diss., 1758



Rheo ✓

B.I.G.



14

IN AVGVRALIS MEDICA
SISTENS
AC THERAPIAM
POLONICAE

QVAM
VMINIS AVSPICIIS.
ET AVCTORITATE
ACVLTATIS MEDICAE
REGIA FRIDERICIANA,
MINIS LOCO,
DV DOCTORIS
INA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
S RITE IMPETRANDIS,
GVST. MDCCCLVIII.
CENSVRAE EXHIBVIT
VC TOR
HAM MEYR
NO-BRODENSIS,
E IVDAEV S.
MAGDEBVRGICAE,
PHIA VESTERIANA.